



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

Concordia Martyrologij Romani cum Breuiario Romano.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

CONCORDIA
MARTYROLOGII
ROMANI
CVM
BREVIARIO ROM.

*Videntur multa pugnare cum Martyrologio Romano,
quæ tamen re vera non pugnant; & idcirco ea ob ocu-
los ponere hoc loco volui, ut appareat in sensu concor-
dia quæ latet in verbis.*



LTAQUE Ianuarij die 19. licet in Martyrologio habeas hæc verba, *Martha in Nympha necata est, ceteri sunt decollati;* & in Breuiario hæc alia, *Ducti in eum locum, qui Nymphe dicebatur, necantur; ac primum Martha, mox ceteris ceruices abscinduntur;* ne tamen dicas: Ergo Martha quoque decollata fuit. Nam in Breuiario mendum irrepsit Typographi incuria: legendum enim est *Martha*, non *Marthe*, quod vltimò est emendatum; & erit sensus: Necantur omnes, ac primum Martha necatur; mox ceteri sunt decollati, seu, quod idem est, ceteris ceruices abscinduntur.

Eiusdem die 22. in Martyrolog. 70. socij S. Anastasij in fluenta sunt demersi; at in Breuiario videntur decollati. Unà, inquit, cum 70. aliis securi percussitur. Nihilominus concordant textus, si legas periodum cum legitima distinctione: Mox à Persis variis cru-

ciatibus affectus à Rege Chosroa unà cum 70. aliis. & hoc verum est, quia in fluenta & hi demersi sunt ante obitum S. Anastasij, iuxta Martyrologium: Anastasius deinde solus securi percussitur, quod asserunt Breuiarium & Martyrologium.

Februarij 6. Martyrologium docet, Dorotheam passam sub Saprício, Breuiarium sub Apricio: verum utroque nomine vocabatur Præles apud Historicos. Sicut Aprion, Tentyrorum Episcopus, in Vita S. Pachomij appellatur Saprion à S. Athanasio Apolog. 2. de Fuga sua; & apud Italos, Luigi, Aloisio, Ludouico, quæ sunt idem. & hoc semel adnotasse, sit satis pro locis etiam memorandis infra.

Aprilis 14. Tiburtius & socij in Martyrologio gladio percussii sunt, more nobilium; in Breuiario, securi feriuntur, more seruorum. Sed apud Scriptores utroque modo explicari solet idem genus mortis, hoc est, decollatio.

Ibidem.

Ibidem. *Almachius & Amachus* videntur differre; at vnum est & idem nomen, vt supra diximus, *Februarij 6.* in casu simili vnus litteræ additæ.

Eiusdem die 17. Martyrologium in Aniceto nominat persecutionem *M. Aurelij Antonini & Lucy Veri;* Breuiarium meminit tantum *M. Aurelij Antonini.* Quis autem sentiat, contraria loqui eos, quorum alter taceret quod alter dicit? passim id accidit in Euangelijs, quorum est mira concordia.

Eiusdem die 26. licet in 6. Lectione Breuiarij legas, *Imperatorem adit,* ne putes tamen eum esse Diocletianum, de quo in præcedenti Lectione; sed Maximianum, de quo hac die in Martyrologio.

May 1. Philippus in Martyrologio apud *Hierapolim Asia* moritur; in Breuiario, apud *Hierapolim Phrygia.* hæc autem est minoris Asia regio. Quid obiicies?

Eiusdem 2. obiisse dicitur Athanasius in Martyrologio tempore *Valentiniani, & Valenti;* in Breuiario, sub *Valente:* vtrumque tamen verum est, vt patet, tacito alterius nomine.

Eiusdem 3. Alexander Papa in Martyrologio multa patitur ante peremptionem, neque vlla est ibi mentio decollationis; in Breuiario dicitur securi percussus, omissis præuijs alijs tormentis. Sed conciliantur hæc loca facile: quia breuius in Breuiario, fusiùs in Martyrologio de eo & socijs agitur; & alter textus alterum explanat in genere mortis & peremptionis instrumento.

Eiusdem 12. Videbantur hæc contraria: in Martyrologio, *pridie huius diei* corpora SS. Nerei, &c. fuere transf-

lata; in Breuiario legitur, *Hac die.* Explicata Martyrologium, quòd in primis Vesperis Festi (& re vera ita factum est:) quæ primæ Vesperæ atinere ad hanc diem Festi, more Ecclesiastico. Præterea, Hac die recondita sunt corpora, quæ pridie fuerunt translata. & hic est sensus verborum Breuiarij.

Eiusdem 27. S. Ioannes Papa dicitur in Martyrologio *diu maceratus in carcere;* & in Breuiario, *paucis diebus cessisse à vita:* hoc est, post diuinam macerationem, breui morbo adueniente, vitam finivit.

Iunij 9. In Martyrologio, Promotus in martyrio SS. Primi & Feliciani dicitur *Præses;* in Breuiario, *Prætor:* at vtrumque titulum legimus apud Historicos in Promoto.

Eiusdem 12. Basilides & socij moriuntur in persecutione *Diocletiani & Maximiani,* si Martyrologium legas: diuisim vtrumque leges in Breuiario; quia in persecutione *Diocletiani* torti sunt à *Maximiano,* & vtriusque vna fuit persecutio.

Eiusdem 18. A Fabiano iudice, inquit Martyrologium, tenti sunt Marcus & Marcellianus; à Fabiano duce, ait Breuiarium. Quid dubitas? Dux ipse militum fuit iudex. *Ibidem* leges, *lanceis, telis.* Vide infra *Decemb. 21.*

Iulij 10. Septem fratres in Martyrologio, sub *Antonino Pio;* in Breuiario, sub *M. Aurelio Antonino.* Vna verò fuit amborum persecutio.

Eiusdem 18. Filij S. Symphorose ad *trochleas* extenduntur in Martyrologio; ad *palum* alligati dicuntur in Breuiario. Lege *Adonem,* qui de iisdem scribens 27. *Iunij* ait: Imperator iussit septem figi stipites, ibique filios ad trochleas extendi. non ergo ea loca pugnant.

Eius-

Eiusdem 27. Pantaleon à *Maximiano* tentus, in Martyrologio; à *Diocletiano* Nicomediæ, in Breuiario. Tu explica de Maximiano Galerio, qui apud Diocletianum erat; non de Maximiano Herculeo, qui Mediolani degebat.

Augusti 2. in Martyrol. fit mentio *Valeriani* in martyrio Stephani Papæ, non autem *Gallieni*: de quibus in Breuiario. Vna tamen erat eorum persecutio.

Eiusdem 25. Aftyagis Regis iussu. ita Martyrologium de obitu S. Bartholomæi. Dicitur autem in Breuiario, quòd Aftyages erat frater Polimij Regis; ergo non erat Rex. potuit tamen esse Rex etiam ille, & frater Regis.

Septembris 14. Cornelius in persecutione Decij decollatur in Martyrologio; Gallo & Volusiano Imperatoribus obit in Breuiario. An perduravit persecutio Decij vsque ad Gallum & Volusianum? indixit eam Decius, renouauit Volusianus, ex *Baron. in Annal. anno Christi* 255.

Eiusdem 19. In martyrio S. Ianuarij meminit *Diocletiani* Martyrologium; addit *Maximiani* nomen Breuiarium. sed iam diximus eandem fuisse persecutionem. Et eodem modo

conciliabis textus in Festo SS. Cosma & Damiani, 27. *eiusdem*.

Octobris 9. Dionysius in Martyrologio à *Fescennino* gladio animaduertitur; in Breuiario à *Fescennio* securi percutitur. Duplex varietas, in nomine iudicis, & in instrumento martyrij: sed recole quæ suprà diximus ad diem 6. *Febr. & 14. Aprilis*.

Eiusdem 26. Euaristus in Martyrologio, sub *Adriano*; in Breuiario, sub *Traiano*: sed coronatur, ait, sub Adriano; Pontificatum gessit sub Traiano. hoc est: Septem annos sub Traiano rexit Ecclesiam, anno secundo Adriani martyr occubuit, *Baron. in Annal.*

Decemb. 21. S. Thomas in Martyrologio prædicat Euangelium Hyrcanis & *Brachmanis*; in Breuiario, Hyrcanis & *Bactris*. Vtrumque tamen verum est, & *Brachmanis* in India, & *Bactris* in Scythia prædicauit.

Ibidem. Martyrologium tradit, quòd lanceis transfixus fuit; Breuiarium, quòd telis confossus. An, quia telum est omne id quod manu iaci potest, inde commune fit nomen lanceis, & similibus aliis armorum generibus? nulla igitur in prædictis discordia; sed omnia consona in sensu, si minus in verbis.

